



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

24. Dies Januarii. Nihil est in nos crudelius, nobis. Salvia l. de Gub. 8.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

## 24. DIES JANUARII.

Nihil est in nos crudelius , nobis.

*Salvia l. de Gub. 8.*

Peccati I.  
gravitas.

**Q**uàm sit hæc tessera vera , li- quebit , si quanta sit crudeli- tate peccati in nos , dum com- mittitur à nobis , intelliga- mus. Rudia quædam proposui peccati , ut illud hor- reamus , lineamenta , necdum submoveo manum à tabula , ut tu removeas tot damna ab anima. Horre- ret ingle horror , si perciperet omnia , quæ peccatum complectitur horribilia. Peccati malitiam , enormi- tatem , fæditatem nemo assequitur , nisi cui fidei di- vinæ radius affulserit , & quem gratia singularis ex- tulerit in Deum. Nulla peccati justa mensura est , nisi Deus: Hujus ex dignitate , illius pensatur indignitas. Tam turpe est peccatum , quàm pulcher est Deus. Ut Deus continet omne bonum , sic peccatum con- tinet omne malum eminenter. Offensa est , injuria est , contemptus est summi Boni , imò voluntas per- dendi Deum , si perdi posset , eumque perimendi quidam conatus. Nunquam satis intelligitur pecca- tum , nisi satis intelligatur Deus. Ejus tamen gravitas ponderabitur à nobis , ex punitionis , qua castigatum aliquando fuit severitate , ex remedii quo sanatum magnitudine : ex damnorum , quæ hominum , Ange- lorumque generi illata sunt estimatione : ex pœna- rum quas meretur æternitate , ex ipsa illius horribili deformitate.

H. Quid-

II. Quidquid mali concipis , vel potes conceperre in hoc, & altero sæculo, vel peccatum est , vel pœna, vel effectus peccati. Terrentne dæmones? peccatum ex Angelis catodæmones fecit. Terremt mors? Peccatum genus humanum infecit , imò interfecit : inde mors , inde judicium : inde inferni mala vitæ futura terribilissima : unico verbo , nullum est malum , quod vel ab homine timeri , vel a Angelo conspici , vel à Deo inferri potest , quod non invexit peccatum. Nulla Dei ira , nullus Dei furor nullum Dei odium existeret , si peccatum nullum esset. Age nunc ; putasne injustum Deum , qui metu exceedat æquitatis ? putasne insipientem , qui quod peccato debetur , ignoret ? Si infinitè justum , & sapientem credis , agnosce peccati gravitatem , & omnibus odiis detestandam turpitudinem , quod tantisve pœnis , & suppliciis tam sapienter , tam justi castigatur. Ad hæc , peccatum maximè , & superquam dici aut credi potest , nocet peccanti , tam in corpore , quam in anima. Recito hîc damnorum omnium catalogum.

III. Nihil est in hominè præclarum , aut nobile quod non aut inficit , aut evertit. Corpus sæpi morbis fœdat & enervat. Animæ vires debilitat facultates vitiat , actiones depravat : Mentis lumen vel perdit , vel infuscat. Rationem appetitui , hoc est , dominam honestissimam nequissimæ subjicit ancillæ. Inquinat voluntatem , & à bono alienam , avariam reddit. Perturbationibus ferocissimis , qualibet frænibus belluis , habenas laxat ! sensibus intemperantissimis animæ satellitibus omnem licentiam indulget , & insanendi libertatem. Hæc in peccante , quid

Januar.

Tessera.

65

Nocet (mirum dictu) cælo, terræ, inferis ipsis peccatum. Cælites gaudio, quod ex hominum salute perciperent, privat. Sanctorum patrocinia cassa, custodiæ Angelorum inutilem reddit, Ecclesiam contrastat, quæ vota, preces, laboresque suos irritos fieri, perdiqne filiorum animas, vehementer dolet. Fideles vel inficit pernicie, vel offendit exemplo. Infideles ad fidei, Religionisque contemptum provocat, Animas purgatoriū pœnis detentas, optatis fraudat auxiliis. Damnatorum quoque pœna, numero reproborum fit auctior. Omnis denique miseria, omne malum à peccato est. Imò tanta est enormitas peccati, ut non potuerit tolli, nisi sublatuè vivis Deo. Nechorreret Filius Dei iteratum crucis supplicium, si ad destruendum peccatum, id vel æquitas, vel amor postularet. Potuisset una sanguinis pretiosissimi gutta totam peccatorum abyssum mergere, si voluisset. Maluit morte crudelissima, totiusque sanguinis per acerbissimas pœnas, effusione, pacisci redemptionem; quo nobis exploratiu, testatusque fieret odium, quo peccatum prosequitur. Quid nunc tibi videtur? Fatere nunc, si non sit in confessio illa hodiernæ tesserae veritas. *Nihil est in nos crudelius nobis.* Quare si times pœnam, fuge culpam.

Nam

*Culpa est pœnacomes, fera mater, & effera proles.*

\* \* \*

\* \*

E

25.DIES